



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ardmachan. Archiepisc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

epistola: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suae domus bene praepositum. Nam (ut difficultatem capitulorum sequentium taceamus) quis se poterit irreprehensibilem exhibere, cum secundum Iohannem Apostolum, si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; cum & de illo qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, dictum fuerit: Ecce homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amicus; & alibi seductor & habens daemonium appellatus fuerit, & cum impiis deputatus; cum etiam si actus nostros in observatione mandatorum suorum ille dirigeret, nec nos permitteret declinare ad dexteram vel sinistram, à quo bona cuncta procedunt, refranare tamen non possemus os iniqua loquentium, vel cavere nobis à labiis iniquis & lingua dolosa. Quia igitur non de nostra virtute confidimus, sed de universalis Ecclesiae prece speramus; universitatem vestram rogamus, moneamus, & exhortamur attentius, quatenus praeter communem orationem, quae pro nobis fieri consuevit, insufficientiam nostram vestris orationibus specialius adjuvetis, puras manus sine disceptatione levantes ad Deum de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, petentes ut quia non sunt in homine via eius, ipse qui pro nobis factus est homo, dirigat gressus nostros in semitis suis, ut vestigia nostra nullatenus moveantur, sed ipse qui dat omnibus affluenter & non improperat, gratiam suam in nobis multiplicet, motus interiores deponens, & actus exteriores modificans; quatenus ea semper & meditemur interioribus, & exterioribus operemur, quae ad laudem nominis eius, ad salutem animae nostrae, necnon & profectum totius Ecclesiae debeant provenire; nec nobis sed sibi det gloriam, qui est gloriosus in sanctis; concedens nobis per suam misericordiam inefabilem, quòd sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus immo potius consequamur aeterna. Datum &c. XII. Kal. Iunij, Pont. nostri anno primo.

Scriptum est autem super hoc Abbati & Conventui Clarevallesi, Abbati & Conventui S. Victoris Parisiensis, Abbati & Conventui Pramstrateni.

ARDMACHAN. ARCHIEPISC.

PER alias literas tuae fraternitati mandasse meminimus, ut venerabilem fratrem nostrum * Rathoboren. Episcopum ad recipiendam curam suae dioecesis, quam aliter quam debuerat resignarat, compelleres; & si forsan eam postmodum in tuis manibus auctoritate sedis apostolicae resignaret, Ecclesiae ipsi in personam faceres electione canonica provideri. Verum ne personam dilecti filij fratris G. reprobasse forsitan videamur, si idem Episcopus resumptam curam pastoralis officij spontaneus voluerit in tuis manibus resignare, & Clerici ejusdem Ecclesiae ipsum in Episcopum canonicè duxerint eligendum, confirmandi electionem ipsius & eum in Episcopum consecrandi tibi licentiam non negamus. Datum Romae &c. XV. Kal. Iunij.

P. PRESBYTERO CANONICO
S. Michaelis majoris Papien.

CUM tam tu quam dilectus filius Iacobus Clericus Papien. pro controversia Ecclesiae sancti Michaelis praebendae, quae inter te & ipsum vertebatur, in nostra esset praesentia constituti, vobis dilectum filium P. sanctae Mariae in via lata Diaconum Card concessimus auditorem: ante cujus praesentiam taliter fuit ex parte ipsius I. allegatum, quòd olim Streuva quondam Praepositus & Canonici dictae Ecclesiae de communi consensu & voluntate unanimi septem Clericos in Canonicos elegerunt, inter quos ipse in sexto loco fuit ab eis nominatus canonicè & electus. Cumque procedente tempore duo ex ipsis electis obiissent, & de Canonicis ipsius Ecclesiae unus in Praepositum fuisset assumptus, & duo viam universae carnis intrassent, & primò vacatura praebenda deberet ipsi assignari, & ipse Praepositus ad jam vacantem praebendam eum recipere recusaret, ipse cognoscens quòd praebendam ipsam tibi conferre volebat, ne tua electio & receptio fieret, sedem apostolicam appellavit, & curavit quantum potuit fortius inhibere, & ad Romanam accedens Ecclesiam, ad dilectos filios B. majoris Ecclesiae & magistrum I. sancti Romani Praepositos Papien. literas impetravit: qui cognito per testes idoneos & quosdam Canonicos Ecclesiae memoratae de

N ij

Epist. 177.
Vt post acceptam
Episcopi Rathoborensis
resignationem,
electionem alterius
cõsideret.
* Leg. Rathoboren.
ut patet ex
Hoved. ad an.
1171.

Epist. 178.
Quòd confirmetur
sententia lata per
Cardinalem S. Mariae
in causa P. & Iacobi
clerici Papiensis.